

Canis iniuste¹ punitur

Agricola² in agro apud silvam cum parvo filio et fido cane vivit. Vir, quia sine uxore est, solus filium summa cura educat et agrum magno cum labore colit³. Filius, cum pater aut in agro est aut feras in silvis petit, cum fido cane ludit et ab eo diligenter⁴ custoditur. Olim⁵ sole occidente homo, cum ab agris domum redit, neque canem, qui apud ianuam iacere solet, neque filium videt, sed in terra sanguinem aspicit. Statim canem accusat et clamat: «Tu non fidus amicus et custos filii mei es, sed mala bestia; nam, me absente, quid facis? Parvum filium meum crudeliter⁶ voras⁷!». Itaque canis iniuste a domino verberatur et occiditur. Paulo post pater filii vocem audit, in eius cubiculum intrat et filium vivum sed perterritum invenit⁸: nam prope lectum magni lupi corpus iacet. Tum vir, cuius errore canis iam mortuus est, per totam vitam fidum animal plorat.

(Anna Bongiorno)

¹ avv.

² *agricola*, *ae* = homo qui agros curat

³ *colo*, *is*, *ere* = curare, laborare

⁴ avv.

⁵ *olim* = una volta

⁶ avv.

⁷ *vorare* = ēsse

⁸ *invenire* = reperire